



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,
locisq[ue] scriptos digesti**

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

VI. Epistola Io. Cochlaei ad Vuilhelmum Episcopum Argentinensem & locum tenentem Archiepiscopi Moguntini, scripta Coloniae Anno. 1525.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

Necessitas Resistendi Sectarum Nouitatibus.

rimē pro fide contra hæreticos & infideles pugnauerunt, & inde meruerint de hostibus uictorias. Licet enim bellum gererent contra hostes barbaros, Hunnos, Gotthos, &c. Intersim tñ & hæreticos legibus pœniscq; coercebant, Qui uero id neglexerūt, ut Henricus III. & Vuenceslaus, regna propria perdidērūt, & cum perpetua infamia perierūt in glorij.

Scripta Nurenbergæ, Anno 1524.
per Ioan. Cochlaum.

MISCELLANEO.
RVM LIBRI SECUNDI
Tractatus Sextus.

EPISTOLA IOAN. CO.

chlai ad R. D. Vuilhelmum Episcopum Argentinensem, & Locum tenentem Moguntini Archiepiscopi.

S. P. D.



VM debita & reuerentia & obedientia, Reuerendissime dñe, Princeps obseruandis, mitto hic Reuerendis, D. V. libellos tres, qui his diebus impressi sunt hic labore meo, non sane, quod ulla in eis sit eruditio, sed ut sint qualiscunq; occasio diligentius, quam hactenus factū est, cogitandi de periculossima ista factione Lutherana. Nimum enim experti iam sumus quid Lutherani uelint, si possent, Poterunt aut, nisi religio se pro

se prospexerint Principes. Videmus enim quantum sit ubique
 dissidium per omnem fere Germaniam. Nunc certe oportu-
 nissimum est uobis ecclesiasticis Principibus tempus & asse-
 rende religionis & liberandae ab ultimo exitio patriae. Nisi
 enim stent in parte uestra saeculares Principes, non satis er-
 runt & ipsi tuti. Egent igitur & illi ope mutua, si a rebel-
 lionibus salui esse uolunt. Certissimum est autem, cum Lu-
 therana doctrina neque pacem neque obedientiam stare posse. Id
 quod experti iam estis, & ex his meis libellis quilibet facile intelli-
 get. Necessarium est igitur uobis utrisque Principibus, in unum
 consentire, ac stare in parte Catholicorum, ut unanimiter
 concludatis semel, Imperialibus edictis, Apostolicisque man-
 datis praebere & consensum & executionem. At Lutheri-
 zant (dicetis forsitan) aliqui Principes. Esto, plures tamen
 non Lutherizant, & quidem potentiores, qui Caesarem quoque
 & omnes Ecclesiasticos in parte sua habent. Qui & ceteros
 in partem suam trahere poterunt, si gnauiter agent in
 proxime futura Dieta. A qua certe nequaquam abesse de-
 bet persona Reuerendiss. D. V. Quae non solum Principes,
 uerum etiam Comites & Barones totamque Nobilitatem,
 & consilio facundiaque informare, & autoritate meritisque
 permouere, sanguinis item propinquitate in sententiam suam
 pertrahere salubriter poterit, duce & adiutore Deo.

Vidi sane literas ex Esslinga ad amicum & consanguineum
 Reuerendiss. D. V. reuerendum & illustrem dominum Deca-
 num Coloniae &c. datas, quibus significatur, Generalem
 dietam a Caesare indictam esse, mox post festum Sancti
 Michaelis Augustae celebrandam. De qua profecto bene
 sperandum nobis est, si uos Ecclesiastici Principes uigili-
 solertia officium uestrum impleueritis, non sane, ut in uocale di-

Gg 2 sputas

Experientia
 per seditio-
 nes Rustico-
 rum.

Vt saecula-
 res & Eccle-
 siastici Prin-
 cipes consen-
 tiant in unum

Ne disputes
 tur publice
 de fide.

Epistola Ioan. Cochläi

Tertullia. de
prescrip. C.
de summa
Trini. L. Ne
mo.

Multiplex
confutatio li
brorū Luth.

Ad quid se
offert Co
chlæus.

disputationem coram Laicis, tot fidei causas & articulos (qui totam concernunt ecclesiam) deduci sinatis, quod ex literis supra dictis intendi uideretur. Ex tali em̄ disputatione, clamsa scilicet et cōtentiōsa, maior sequutura esset cōfusio et scandalum, quandoquidē animi Laicorum magis fauent dictis Lutheri, quibus cōtra Clerū illis blandit̄. Nam et Tertullianus ante mille trecentos años eiusmodi disputationes ad longum dissuasit. Quas & Valentinianus ac Martianus Imper. Aug. publica lege prohibuerunt. Quoniam omnes eius articuli prius multipliciter sunt in generalibus concilijs ab uniuersa ecclesia damnati. Et maxima pars eorum hoc quoq; tempore confutata est infinitis scripturis & rationibus, nō solum à plerisq; Germaniæ doctoribus, Verum etiam ab Italis, Gallis & Anglis, ijsq; doctissimis, quibus adhuc nihil, præter conuitia, responsum est à Luthero & complicibus eius. Quod si prolixas petant uiderere cōfutationes, ostendatur eis libri Episcopi Roffensis, Iodoci Clichtouei, Ioan. Fabri, Ioan. Eccij, Ioan. Dietenbergij, Hiero. Emseri, Ambrosii Catharini &c. Si breues, ecce quingentos articulos in uno libello meo breuissime confutatos. Multos etiam ad longū in alijs libris tum Latinis tū Teuthonicis reprobauī, quibus adhuc nemo respondit. Nisi quod Lutherus ipse ad unum articulum semel mihi respōdit. Sed utinam liceret mihi sub certis, à Cæsare scilicet & à Principibus designandis, iudicibus, cum illo, super responsione sua pro uita & morte certare, quam libenter uelim cutem meam in periculum uitæ pro patria & fide catholica tradere.

Si uidebitur igit̄, Reuerendissime dñe, in futura dicta uel necessarium uel opportunum, eade re quicq; dicere, poterit Reuerendissi. D. V. alacriter & secure, de me pusillo & minimo subditorum uestrorum, polliceri reliqs Principibus et obijce

obijcere Lutheranis quibuscumque, me paratum esse, sub uita & morte iudicium ferre, super uno illo & primo articulo, quem bulla apostolica reprobauit. In quem & ego scripsi. De gratia scilicet sacramentorum, & Lutherus scriptis mihi respondit, egoque alio libello contra responsionem eius replicauit. Nolo quidem uerbosa aut clamosa cum eo disputatio ne coram Laicis contendere. Sed paratus sum, cum illo stare captiuus, ad certam mortis, uel meae uel ipsius, sententiam, sub quibuscumque iudicibus à Caesare Principibusque, si non omnibus, saltim Electoribus, deputandis. Obtuli certe & uos maiestatis meae similiter, & quidem in faciem ipsi Lutheri, super materia de sacramento Eucharistiae. Nunc autem non plus peto, nisi ut super primo articulo (quem Leo X. Papa damnauit) Lutheri meaque scripta sub certa mortis sententia iudicentur. Non enim timeo, pro ueritate catholica mori, praesertim in tantis patriae & animarum periculis.

Nec ullum erit ibi praesudicium aut fidei aut ecclesiae. Nam dato casu, quod ego morti à iudicibus illis adiudicarer, nequaquam tamen adhuc saluus aut uictor esset Lutherus. Nam in uno tantum articulo uinceret, non omnes sane, sed me uicinum. Possunt autem inueniri mille, imo ter mille Doctores uiri doctissimi, qui cum illo super eodem articulo possent concertare. Quod si super uno articulo non ausus sit mecum capitale iudicium subire, quid faceret de quingentis? Quid de multo pluribus qui assignari possunt?

Agite igitur uiriliter uos Principes ecclesiastici, obturate semel ora Lutheranis. Nam si opus fuerit, spero me multos habiturum esse socios, qui similia pericula pro patria & salute animarum libenter subibunt. Non sane, ut uocali contentione coram Laicis disputemus, coram confusa multitudine, sed ut scripta nostra certis ac deputatis iudicibus, etiam sub uitae periculo.

Gg 3

Qualiter cum
Luthero cer
tandum sit.

Epistola Io. Coc.

periculo, libeter submittamus. Quid amplius petere a nobis possent omnes Lutherani? Nolo autem, cum Luthero iudicium sub saluo conductu inire. Hoc enim tenderet ad illius pompam & ad maius scandalum populorum, sicut & Vuormaciae contigisse uidetur, & Lipsiae, sed si uocemur sub aequali periculo, ut stemus captiui sub iudicibus, donec feratur sententia, qua alter nostrum destinatur morti, libentissime profecto comparebo. Firmissime autem credo, Lutherum non compariturum esse sub tali conditione, Et sic compareret, nihil profecto timerem, Scio enim quod euadere non posset, nisi iudices essent ipso Luthero Lutheraniores. Hac tamen breuissima uia posset (ut mihi uidetur) multis populis, inique de ui & oppressione Euangelij falso conquestantibus, benigne ac liberaliter satis fieri a principibus.

Pia intentio.

Hec Reuerendissime Domine bona sane intentione scribo, non aliud querens (teste deo) quam patriae pacem & salutem animarum. Scio enim certissime, sub Lutherana factione nullam fore pacem, nullam animarum salutem, sed confusionem dedecorosam ac uastitatem irrecuperabilem. Rogo igitur humillime, ut Reuerendissima D. V. hoc studium propositumque meum equo animo accipiat, sibique persuadeat, me omni honore reuerentiaeque & obedientia preceptis uestris promptissime semper pariturum esse. Quam & optime ualere precor. Ex Colonia quarto Nonas Septembris, Anno domini M. D. XXV.

Reuerendissime domine, Clerus Franckfordien. male uexatur a Lutheranis, Nisi ei Reuerendissima D. V. succurrat, peribit in finem. Ego certe, ne in ullum articulum Lutheranum consentire cogat, longum patior exilium. Mallem autem domi esse cum matre mea inter meos libros, ut & officio Decanatus mei pro uirili satisfacere possem. Nequa



Ad Episcopum Argentinensem.

120

quaquam tamen redibo, nisi tutus ibi esse queam à Lutheranorum uolentia. Commendo igitur suppliciter pauperē & misere uexatum Clerum illum Reuerendissimę D. V. ut opportuno sit ei presidio.

Reuerendissimę D. V.:

Deuote subditus

Iohannes Cochleus.

Scripta Colonie Anno 1525.

MISCELLANEO
RVM LIBRI SECUNDI
Tractatus Septimus.

ADMONITIO IO. COCHLEI CONTRA
seditiosum & sacrilegum libellum, Argyrophyl-
lactis, Spire in Conuentu Imperiali
Anno 1526.



Non satis mirari queo Reuerendiss. ac Illu-
strissimi Principes, apud uos licere adhuc
seditiosis ac pestilentibus uiris, post tot cla-
des uestre Reip. per eorum nouos contra
pacē ac religionē libros datas & acceptas,
nouis ad discordiā cōcinnatis nugis & ca-
lumnijs uerba tacere. Cū nō aliud intēdāt sub p̄tento isto in
Clerum

Seditiosi Cō-
cionatores
& scriptores